e-codices

in nidum suum. ¶ Dixerunt quidam philosophi quod ille virtutes in brutis potius aguntur a natura quam agant. Sed in homine potius agunt quam agantur. quia in bruta mouentur pro tempore et impulsum appetitus naturalis. motus autem humani regulantur per regimen rationis. ¶ Notandum quod melancolici et infirmi et amentes habent mixtas fantasias. sed hoc non est ex illustratione que fit per ymagines rerum sensibilium. sed ex passionibus nature et confusione spirituum ascendentium ad cerebrum et caput turbantium. Tales enim ipse dum sunt ymaginum volutiones faciunt et generant horribiles visiones et conceptiones. ¶ Sciendum preterea quod bruta citius recipiunt influxiones primi motoris quam homines. sicut patet in formica que cum cibum colligit infra tres dies non pluit. et gallus cantum suum pro tempore variat. quia mutationem aeris ex influxione primi motoris presentiunt. Huius causa hec est ratio. quia homines multipliciter occupantur circa conceptiones suas confundendo et componendo ac diuidendo. Quare et influxiones primi motoris non percipiunt sicut bruta que non sic occupantur in suis conceptionibus. nec preter illas operantur sed tantum per instinctum nature. ¶ Ista vis scilicet fantasia plus intellectum impedit eo quod nimis occupat animam compositione et diuisione ymaginum non solum acceptarum a sensibus sed et fictarum. Maxime autem impedit intellectum quando ad de celestibus et diuinis ei imprimuntur. et hoc ideo quia conceptiones intellectuales ut frequenter non sunt similes ymaginibus et fictionibus fantasie. ¶ Fantasia posita in medio medie celle cerebri tanquam centrum inter ymaginatiuam et memoratiuam. quia fantasia conuertit se tam super formas quas accipit ab ymaginatiua per sensum. quam super intentiones quas reseruat memoria. Et tunc illas formas et intentiones diuidit et componit.

De memoria. xi. c.

Memoria est repositorium preteritorum. Reseruat enim memoria tam formas apud ymaginatiuam repositas. quam intentiones per estimationem a singulis rerum elicitas. ¶ Anima per memoriam mediantibus rebus sensibilibus redit in ipsas res sensibiles que sunt extra ipsam. Et propter hoc circa actum memorie duas operationes procedere. quarum vna est hoc est perceptum et hec est operatio sensus communis. et in hoc memoria incipit. Secunda est hoc est conseruatum apud nos quod fit per ymaginationem. ¶ Oportet et quod ante memoriam quedam virtus operetur que ex singulis rerum dicat rerum intentiones singulares. ¶ In hoc autem differt ymaginatio a memoria. quia illa species rerum. hec autem intentiones specierum conseruat. ¶ Sciendum quod memoria differt a reminiscentia. quia memoria discrete et distincte reuertitur ad res componendo intentiones distinctas cum ymaginibus. reminiscentia autem siue recordatio est motus quo interceptus et abscisus per obliuionem et cum collatione temporis et loci et huiusmodi. Reminiscentia enim motus non est uniformis. sed causatur ex pluribus principiis concurrentibus. Et cuius proprie est reminiscibilitas. cum sit principium multorum prius memoratorum. Cum enim per memoriam fiat rerum apprehensio ita quod eedem res prius fuerint in se. vel aliis sensibus cognite. patet quod si quis rei totaliter est oblitus non potest per memoriam recordari se esse oblitum. Sed si

Lizenz: CC-BY-NC – Aarau, Aargauer Kantonsbibliothek, MsWettF 15, f. 25v – Hugo Argentinensis; Guilelmus Rothwell (http://www.e-codices.ch/de/kba/WettF0015/25v)